

Q. D. B. V.

35.

CHRISTUM IN
STABULO,

Ad d. XXX. Dec. MDC LXXIII.

SUB MODERAMINE

M. CHRISTIANI VVEISII,
ORAT. PROF. PUBL.

IN

ILLUSTRI AD SALAM
AUGUSTEO

DUABUS ORATIUNCULIS CONSIDE-
RABUNT

THOMAS WEISSE

ET

GOTTFRIDUS CRACOU,

WEISSENFELSENSIS.

LEUCOPETRÆ,

LITERIS JOHANNIS BRÜHLÆI.



GAllorum & Hispanorum con-
suetudo est, ut, quoties in finibus utriusque re-
gni solennem instituunt conventum, tumultu-
arias è rudi ligno ædiculas excitent, eosque postea ta-
petibus ac peristromatibus undique contactas, regio
splendore digniores reddant. Fecit hoc Elisabetha
Hispaniæ Regina, quæ, cum anno 1565. Fratrem Caro-
lum IX. Galliæ Regem unâ cum Matre Catharinâ
Medicæa Bajonam invitasset, ligneum sibi procuravit
domicilium, non procul ab ædibus Episcopi, unde ci-
tra omnium suspicionem clandestinorum consilio-
rem facilius esset communicatio. *Thuan. Hist. lib. 36. p.*
738. Sic anno 1616. in flumine, quod utriusque Imperii
terminos describit, exceptam fuisse Elisabetham Gal-
licam ad Hispanos, Annam Hispanicam ad Gallos
transeuntem, ac in utraque ripa dignum tantis hospiti-
bus diversorium subito surrexisse, habet *Gramond. lib. 2.*
p. 101. Nuperâ verò pace 1659, quomodo ad montes
Pyrenæos in fluvio Vidasso electa insula à Phasianis
dicta, & recipiendis legatis eminentissimis instructæ
habitationes, quoad materiam miseræ, quoad exter-
num cultum regiæ, refert *Priolus Hist. lib. 10. p. 366.* & *Pet.*
Axen, qui hanc Pacis Historiam ex Italico Galeatii Gualdi latine
reddidit, pag. 29. Exscribam, quæ de suo conventu ha-
bet Gramondus: *Facta duplicis tabernaculi fundamenta, quæ in-*
vicem aspectus erat structurâ pari, ligno per tempus tumultuario &
impo-

*impolito, quod, etsi infra Regum dignitatem erat, pro magnifico au-
diat: addebant loco Majestatem tapetia filis argenteis auro mixtim
& serico intertexta: sedes medio tabernaculo posita, stragulatum tape-
tibus solum, circum sella manuales.*

Cæterum quoties talia mecum cogito, mirari satis non possum, esse quædam mundanarum deliciarum mancipia, quibus effulgens hæc, etiam in ligneis tuguriis, majestas, pro magnifico audiat; cum tamen, si ad abjectum Christi nascentis stabulum oculos convertant, singulare quoddam istius vilitatis sentire videantur tædium. Quasi verò defint optimo Servatori ornamenta, quibus tenuissimam hanc habitationem ab omni ignominia culpâ absolvat: aut quasi obscuras stabuli tenebras undiqve non circumvestiant cœlestium exercituum radii, quibus metalla & gemmarum pretiosa si comparentur, sordes sunt, excrementa sunt, quisquiliae sunt. Adde, quod sapientiorum consensu jam firmatum est & comprobatum, ab ædificii præstantiâ, non colligi posse ipsius inhabitantis dignitatem; nec statim ingenii virtutisque carere dotibus, qui parietibus undiqve splendentibus easdem non commendet: sed posse conclavia sordidiora aulæis, corpora minus superba virtutibus illustrari. Neronis erat jactantia, cum Auream suam domum dedicasset, ejusque parietes auro gemmis unionibusque distinxisset, eburneis tabulis expoliisset, universam denique ejus magnitudinem ad integræ urbis instar extendisset, *se quasi hominem tandem habitare cepisse, Sveton. cap. 31.* Siquidem, cui reliqua humanitatis abesset cultura, ad externam pulchrè habitandi gloriam necessario confugiebat. Cum ex adverso laudabilem Principem, vel in amplissimo Palatio constitutum,

citra minorem mentiendi suspicionem, verbis alloqui
queas, quibus adulator Martialis ad suum utitur Do-
mitianum *lib. 8. epigr. 36.*

*Hæc, Auguste, tamen, quæ vertice sidera pulsant,
Par domus est cælo: sed minor est domino.*

Certè, si ad JEsulum nostrum redeamus, non pote-
rat salutis nostræ primordia in expolito Augusti aut
Herodis palatio constituere, quippe quod æternitatis
autor, æternorumque bonorum reparator, eò splendo-
re parùm videretur adjuvari posse, cujus per breve
spatium futura esset duratio. Etenim ut adhibeamus
sive lusum sive querelam Senecæ ad Polyb. cap. 20. *Quid
immortale manus mortales fecerint? Septem illa miracula, & si qua
his multò mirabiliora sequentium annorum exstruxit ambitio, ali-
quando solo æquata visentur. Ita est nihil perpetuum, pauca diu-
turna sunt. Aliud alio modo fragile est: Rerum exitus variantur:
ceterum quicquid cœpit, & desinit.* Et quorsum quæso abi-
it antiquitatis in excolenda architectura studium?
Christi equidem splendidissimam gloriam, quæ stabuli
miseriam ante repetita toties secula reddidit conspecti-
orem, nulla temporis eximet aut contaminabit inju-
ria. Sed quicquid externo fulgore vanitatis præ se
tulit cultum, vel in miserabili interitu, vel in ipsa obli-
vione inexpectatum invenit sepulchrum. Et verò ha-
bent Itali, quorum in exstruendis ædibus singularis est
dexteritas, notabilem naturæ lusum, unde, quasi per
vivam imaginem, fluidam cujusvis marmoris vanita-
tem intelligant. Quæ res, cum sit lectu non indigna,
eandem dabo verbis Anonymi, qui edidit Historiam
Geographicam Francofurti ad Oderam hoc ipso an-
no. Sic enim ait pag. 34. *Morgana prodigiosa & admiratione
digna Parastasis juxta Rhegium Calabriae oppidum mediâ æstate ple-
rumq̃*

rumq; se spectandam exponit. Contingit enim, ut repente theatrum quoddam in vaporoso aëre se aperiat, tanta rerum varietate adornatum, ut nihil ferè sit, quod ibi non spectetur: Castellorum ordinatissimè dispositorum Architectura, Palatiorum ædificiorumq; ad omnes perspectivæ regulas infinito columnarum ordine projectorum miræ quædam magnificentia, in eorum paulatim evanescentium locum succedente scena catoptrica; Umbrosi præterea sylvarum tractus, Cupressorum aliarumq; arborum in quincuncem mirâ serie dispositarum ordines, campis, immensis hominum turmis, Boum armentis oviumq; gregibus refertis, omnia tantâ colorum varietate, tam artificiosâ Lucis & umbræ mixturâ, tam vivis gestibus, ut humana industria nihil simile producere posse videatur. Rhegini spectaculum hoc Morganam vocant, ac prolixè describitur & examinatur à Kircherò, Art. Mag. Luc. & Umbr. lib. X. p. 11. c. I. Ubi etiam literas Ignatii Angelucci ad Leonem Sanctium videre est, qui ipsam anno 1643. Festo Assumptionis Mariæ hoc ordine vidit. 1. Mare lucidissimâ Crystalli claritudine. 2. infinitas columnas ejusdem altitudinis & amplitudinis. 3. Columnas has in fornices abeuntes, similes Aquæductibus Romanis 4. Ex his fenestras factas tandemq; 5. Amplissimam pinorum & cupressorum sylvam succedentem. Hucusq; supra tactus Autor, cui fidem pro lubitu quivis adhibeat. Sane si omninò falsa non sunt ista miracula, non video, quid accuratius omnium palatiorum fluxam & parùm durabilem repræsentet magnificentiam. Siquidem, ut Zepusiani, Hungariæ populi, qui ad fontes lapidescentes habitant, illisq; porrò lapidibus utuntur in ipsâ ædium suarum constructione, joco dederunt occasionem, incolere ipsos conclavia ex aquis facta. Wernher. de admirand. Hungar. aqu. pag. 185. Sic citra jocum jam pleraq; architectorum monumenta instar levissimæ aquæ fuisse dispersa, fera dolet posteritas.

Et proinde accedamus ad Christum nostrum in sta-

bulo latentem; excutiamus animo conclavium delicia-
tiorum desideria, & quando festi nuper celebrati du-
rans adhuc solennitas, aliquam devotionis tesseram
à nobis exigere videtur, in humili hoc Jesuli nostri re-
ceptaculo lætitiæ nostræ ac pietatis compendium quæ-
ramus. Non merum inveniemus stabulum, non me-
ras miseras; sed splendorem, præ cuius dignitate vel
reparatum ab Herode templum poterat videri stabu-
lum. Quin etiam in horrido isto præsepis aspectu, di-
ci non potest, quanta consolationis & hilaritatis lateat
copia. Quamobrem, qui priores dicendi partes in se
recepit, JESULI describet miseriam, ita tamen, ut, quã-
tum nos de stabuli ignominiâ, de lectuli duritie, frigo-
risque vehementia nunc gaudere debeamus, piâ me-
ditatione persequatur.

Alter ex adverso in hac ipsa Nativitate singularem
ac præcipuam notabit gloriam, quam quidem vel ma-
ximus inter homines Monarcha natalitiis suis pompis
asscribere nequeat. Occasionem dicendi capiet ex
Eman. Thesauri Inscriptionibus, qui, nato anno 1630.
Balthasare Carolo Philippi IV. Regis Hisp. filio Medi-
olanensibus autor fuit, ut Ætnam montem ignivo-
mum per nocturnos pulveris pyrii lusus in foro publi-
co exprimerent; nato autem 1632. in Sabaudia Franci-
sco Hyacintho, Augustæ Taurinorum, quæ Ducum
sedes est, invenit Zodiacum, ubi in Tauri signo no-
vum emerisset astrum, qui postmodum in nocturno-
rum ignium ludibria itidem fuit resolutus.

Nam major in hac ipsa Servatoris nostri Nativitate
ignium splendor, qui non forum aliquod aut angustam
aream, sed lætissimum cœli campum, Orientisque re-
motas plagas mirificè collustravit. Non fulget Ætna,

cu-

cujus flamma sæpè nocens est; sed Cœli exercitus meliorem à se spargunt lucis gloriam: Non fictum in picto Zodiaco astrum, sed stella Magis exhibita, pulcherrimum explicat nitorem. Ut inde devotionum nostrarum lampades, non minus excitare jubeamur, quàm in solenni nativitatis nocte, nostris etiam moribus ludere vidimus accensas per templum candelas. Hæc erit Oratorum nostrorum materia; Hæc Auditorum Pietas; Hæc invitandi formula. Siquidem ad DEi honorem convenire, vel absque precibus & invitationibus, pulchrum est. Dabunt interim operam Oratores, ut, quibus bona hæc declamandi intentio fuerit probata, vel studia ac servitia, vel perpetuam observantiam decenter comprobent.

Cæterum quando ultimum hoc est exercitium, quod præcipitante hoc anno in Augusteo nostro exhiberi potest, DEum opt. max. devotè veneramur, velit anni instantis ingressum non minus reddere quietum & tranquillum, ac egressum veteris indulsit satis optatum; & imprimis Serenissimum ac Reverendissimum Nutritium nostrum cum gloriosissima SAXONUM Familia alis gratiæ suæ tam feliciter protegere, ut bellorum alibi grassantium tumultus in solis novellis hic quidem legantur, propriâ experientiâ nunquam cognoscantur; sed potius DEi sincerus cultus, Justitiæ vigor, Literarum efflorescentium decus, opum affluentia, omniumque tandem Virtutum debita cultura, non secus ac sidera lucidissima his regionibus salutarem afferant splendorem.

Vigeat imposterum INSPECTORUM utriusque ordinis illustrata series: Vireant in AUGUSTEO Discen-
tium

tium & Docentium conatus, abfint à nostris pomœri-
is temerè peccantium flagitia, finguliq̃ve cogitent, cur
in loco Mufis Eufebiaëq̃ve consecrato vivere juffi fint.
Floreattandem lectiffima Leucopetrenfium Civitas,
cum univerfo Thuringiæ & Saxonix tractu; fintq̃ve
adeo in novo Anno nova etiam felicitatis & falutis in-
crementa. P. P. d. 29. Decembr. M DC LXXIII.

